

citerior multo major est, & in varias descripta plateas scholam ostendit, & Hospitale S. Ioanni satis amplum pauperibus sublevandis positum. Vltior, minor est, templo autem spectatissimo insignis, quod pulcherrimo mœnium ambitu instar castelli, & elegantissimis Præbendariorum ædibus, Episcopique palatio redimitum, præcellenti specie tribus è saxo pyramidibus excelsum surgit, multisque retro ante sæculis Episcoporum sedes fuit. Anno enim mundi redempti sexcentesimo sexto Oswius Nordanhumborum Rex, paganis Merciiis devictis, ad veram Christi religionem propagandam hoc in loco templum condidit, & Duinam primum Episcopum ordinavit, cuius successores eam gratiam à principibus inierunt, ut non modo primas tulerint inter omnes Merciorum Episcopos, amplissimasque possessiones in suos usus acceperint, *Cankwood* five *Canoc* sylva maxima, uberrimisque prædiis donatis; verum etiam Archiepiscopum habuit Eadulphum, cui Adrianus P.P. pallium donarat, omnesque Merciorum & Orientalium Anglorum Episcopos subjecerat, aureis rationibus ab Offa Merciorum rege permotus in invidiam Ieamberti five Lamberti Cantuariensis Archiepiscopi, qui suam operam Carolo Magno detulit si Angliam invaderet. Sed cum Offa, & Eadulpho evanuit hæc dignitas Archiepiscopalis. Inter Episcopos autem celeberrimus fuit Ceadæ ob sanctitatem Divis adscriptus, qui, ut inquit Beda, cum nondum luxur Episcoporum animos pervasisset, fecerat sibi mansionem non longe ab Ecclesia remotiorem, in qua secretius cum paucis, id est, septem five octo fratribus, quoties à labore, & ministerio verbi vacabat, orare ac legere solebat. Eo seculo Lichfield villa erat exigua, longe à frequentia urbium. Nemonosa circa regio, rivulus prope fluit. Ecclesia angusto situ erat, antiquorum mediocritatem, & abstinentiam præseferens. Cum Synodo CIO LXXV, prohiberetur Episcopales sedes in villis obscuris delitescere, Petrus Episcopus Licedfeldensis Cestriam suam sedem transtulit. Robertus vero de *Limsio* ejus successor eandem ad *Conventriam* removit. Paulo post Rogerus *Clinton* Lichfeldiam reduxit, & elegantissimum templum anno Christi CIO C XLVIII, in B. Mariæ, & S. Ceadæ honorem inchoavit, castrumque, quod jam funditus deletum non apparet, restauravit. Oppidum vero patrum memoria à Rege Edwardo VI, nomine *Bellivorum* & *Burgensium* primum fuit incorporatum. Polum Borealem LII gradib. XLII scrup. sublimem videt, & ab ultimo Occidente XXI grad. xx scrup. numerat.

Paulus ista Lichfeldensis intra ripas statim cœrcita, iterumque diffusior, sed se in alveum rursus colligens cito in *Trentam* immergitur, qui in Ortum cursum continuat, donec *Tama* flumini ab Austro obviat, cum quo *Trenta* consociatus per loca Alabastrite fœcunda cursum in Septentriones deflectit, ut citius *Dovum* excipiat, & *Burton* Alabastrinis operibus, *Ferravium* castro, antiquo monasterio ab *Vlfrico Spot* Comite Merciorum fundato, & * *Modwenæ* Hibernicæ mulieris secessu quondam insigne oppidum fere circumlambit. De quo Monasterio liber Abingdonensis, *Quidam minister Ethelredi Regis dictus Vlfricus Britannia.*

Spot construxit Abbatiam de Burton, deditque ei omnem hereditatem paternam appreciatam 700 libris & ut hæc donatio rata haberetur, dedit Ethelredo Regi 300 Mancas auri pro ejus confirmatione, & unicuique Episcopo quinque Mancas, insuper Alfrico Archiepiscopo Cantuaris villam Dumbletonam. Ut vel hinc intelligamus aurea tunc fuisse secula, aurumque etiam in rebus sacris valuisse. In hoc Monasterio Modwenna, cujus sanctitas hoc tractu celeberrima, sepulta, tumuloque hi inscripti fuerunt pro Epitaphio versiculi;

*Ortum Modwenna dat Hibernia, Scotia finem,
Anglia dat tumulum, dat Deus astra poli.
Prima dedit vitam, sed mortem terra secunda,
Et terram terra tertia terra dedit.
Auffert Lanfortin quam * terra Conallea profert,
Felix Burtonium virginis ossa tenet.*

* Tir-
Conell.

Iuxta hoc inter flumina *Dovum*, *Trentam*, & *Bliethum* (qui *Bliethfield* speciosas ædes antiquæ & claræ familiæ *Bagottorum* irrigat, & denominat) *Needwood* sylva spatiosa, vivariisque repleta dif- funditur, in qua circumvicina nobilitas hilares venandi labores gnaviter assidueque exercet. Hæc in parte hujus agri media.

Blieth fl.
Need-
wood
forrest.

Pars Septentrionalis montibus non magnis leviter intumescit, qui hinc exorsi, ut per Italiam Apenninus, per Angliam mediam perpetuum dorsum perpetuis jugis magis magisque elatum ad Scotiam usque nomine sæpe mutato, agunt. Hic enim *Mooreland*, inde *Peake*, deinde *Blackston* edge, postea *Craven*, deinceps *Stanmore*, & demum in cornua scissi *Cheriot* vocantur. Hæc *Mooreland*, sic dicta quod in montes & colles celsior surgat, & sit infrugifera, cujusmodi loca *Moore* nostra lingua vocamus, regiuncula sane adeo aspera, squalida, & frigida est, ut nives diu tueatur, & de rusticano hic viculo nomine *VVotton* colli *VVevero* subjuncto circumferatur apud vicinos hic versiculus, quasi Deus locum illum nunquam inviseret,

Moore-
land.

*VVotton under VVever,
VVhere God came never.*

Observant hic incolæ, Zephyrum ab Occasu spirantem semper esse pluviosum, Eurum vero, & Austrum, qui pluviarum alibi pincerna, serenare, nisi ab Occasu convertat se ventus in Austrum, & hoc ad maris Hibernici vicinitatem referunt. Ex his montibus plura in hoc agro emanant flumina, præcipua vero sunt *Dove*, *Hanse Churnet*, *Teyn*, *Blieth*, & qui singula capit & ad mare defert *Trenta*. *Dovus* five *Dove*, cujus ripæ ex- tractæ sunt è solida calce, qua adusta ad sterco- randos agros utuntur, Orientalem hujus partem magna ex parte citus perstringit, & à Derbien- sibus separat argilloso alveo, sine ullo cœnoso pulvino, cursum per solum quod è calce illa (quam *Limestone* vocant) unde eam fertilitatem exsugit, ut vel media hyeme prata ex utraque ripalæ tissime vireant, & si ripas excedat, & pratis supernatet mense Aprili, ita quasi alter Nilus fœcundat, ut vulgo accollæ lætanter dicant:

Dove fl.

*In Aprill Doves flood
Is worth a Kings good.*

Hic fluvius spatio duodecim horarum ita intumescit, ut oves & armenta secum rapiat & ferat cum magno accollarum terrore, sed spatio

Z z z z rursus

Circa an-
num.
779.

Hist. Ros-
fen.
S. Ceadæ.

Guil. Mal-
mesburi-
ensis. A.

Alaba-
strum.

Burton
upon
Trent.
* Quæ &
Mowen-
na.

1004.